16.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,
SISTENS

CASUM MEMORABILEM LAESIONIS CAPITIS PRACTICUM

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRAESIDE

CAROLO FERDINANDO GRAEFE

MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORE, PROFESSORE CHIRURG. IN UNIVERSITATE LITT. BEROLINENS. PUBLIC. ORDINARIO, REGI BORUSS. A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITE, LEGIONIS HONOR. DECURIONE, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, SUECICI WASANI, RUSSICI ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITE, INSTITUTI REG. CHIRURGICO-CLINICI DIRECTORE. PROFESS. ORDINAR. IN REGIA ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, REG. SOCIETATIS FACULTATIS MEDICAE PARISINAE SODALI PER EPISTOLAS ORDINARIO, SOCIETATIS MEDICAE AEMUL. PARISINAE SOCIO PER EPISTOLAS EXTRANEO, SOCIETATIS REG. SCIENTIARUM GOETTINGENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS NATUR. SCRUTATORUM HALENSIS. ALIARUMQUE SODALI.

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES CAPESSITURUS

PUBLICE DEFENDET

IN AEDIBUS UNIVERSITATIS BEROLINENSIS

AUCTOR

JULIUS BLUMNER,

DIE XX. M. NOVEMBIS. A. MDCCCXVI.

H. L. Q. S.

BEROLINI.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

DILECTISSIMIS FRATRIBUS,

CONRADO AUGUSTO,

ET

SIEGISMUNDO BLUMNER,

MERCATORIBUS

HANC DISSERTATIONEM FRATERNA MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Saluberrimae, quae summis in arte medica honoribus condecorari cupientes specimen inaugurale edere et defendere jubet, legi satisfacturus praediligo: casum memorabilem morbi, in praxi quem vidi, enarrare, atque eruditorum disquisitioni dissertationem meam circa hanc rem indigniter subjicere.

Symptomatum hoc in casu varietas, — modo commotionem cerebri, modo extravasationem, modo ossium fragmenta depressa, modo hydropem cerebri acutum designans — diagnosin magnopere gravavit, minime vero absolutam lethalitatem profundi vulneris post mortem in capite dissecto tandem inventi praesagire concessit. Veritatem certissimam hujus facti eo confirmo: quod aegrum a laesione sua ad mortem usque maxima artis cura observaverim ipse ego.

F. a. T. vir formosus annum agens quadragesimum tertium, plethoricus, robustus devictis infantum morbis firma hucusque valetudine fruebatur, si excipere velis nonnunquam iteratas congestiones sanguinis caput molestantes. Die vero octavo februarii 1816. promeridiano tempore in via publica glacie obducta ab equo, quo pudetentim vehebatur, cujusque pes posticus unus quoniam per lubricum elapsus erat, in rotam rhedae illi obviam venientis et inde ad terram quum dejiciebatur, capitis vulnere inflictus fuit. Post aliquot momenta delapsus ex ore et naribus inter sexdecim et octodecim uncias effudit sanguinis, quem sensu omni carentem in proximam domum illatum exploravit medicus. Ille primo adspectu fracturam ossis frontis et depressionem glabellae nec non duorum angulorum arcuum superciliarium detegit ita formatam, ut depressa pars triangulum obtusum effingeret, cujus basis infra vertex vero supra respiceret. Contusio levis in genu sinistro parvi erat momenti. Functio sensuum per octo vel decem sexagesimas plane interpellata secum duxit respirationem anhelosam, profundam, raram; arteriarum pulsum tardum, rarum, magnum plenum; et extremitates uti re-

liquum totum corpus prostratas. Functionibus sensuum pro parte demum recessis incepit balbutire, distincte loqui et tandem respondendo par factus fuit ita, ut sane suum et suorum statum experiri examinando licuerit nobis, imo ipse ille soepius obsecravit amicos suos aeger: ut parceant conjugi suae nuntiando calamitatem suam; sed paulo post relapsus in statum pristinum nobisque jam notum symptomata iterum praebuit apoplectica depicta.

Deproperatis vehendi auxiliis aegrotus curru cunctanter tracto domum devehebatur sedens capite erecto et ne molestari vel laedi per currus cursum ei periculosum possit, secura manu retento, ibique cubiculo frigidiori lucido amplo, ad hoc munus aptato imponebatur.

Sopore, cujus supra mentionem fecimus, vix interrupto, cum vestimenta illi detraherentur, quietus erat omnino, sed prater morem horrore concutiebatur, adtamen cutis erat normalis temperatura; faciei plures contusiones imo superiorum et inferiorum palpebrarum plures graviores suggilationes conspicuae nunc erant. In hoc tem-

pore usque ad horam quartam matutinam de novo ex naribus et ore aegroti, praecipue capite inclinato humor cruento aquosus effluebat. Cum, ut antea memoravimus, laesus magnam jam quantitatem cruoris perdidisset, nec ullam indicationem venae seccandae locum habere putavimus. Postea pulsum tardum — quadraginta vel quinquaginta micationes singulis sexagesimis conficientem — magnum plenum mollem, pupilllam dilatatam, oculos defixos, corneam nitore destitutam, faciem rubram, respirationem tardam, altam, intermittentem; post horam vero pulsum decem micationibus acceleratum observavimus; quare a medicis sequens curandi ratio praescribebatur. Externe fomentationes frigidae adhibebantur et sexdecim hirudines ad tempora imponebantur. Interne potus acido salinus sale essentiali tartari, sale mirabili Glauberi et nitro depurato mixtus porrigebatur, qui vero hausta mox prima dosi levem et unicum vomitum effecit, cujus contenta erant: fluidum pondere librae unius atque sex vel octo coaguli unciae, sine quod medicamento denominato ullum levamen inductum fuisset, vel induci potuisset. Hora prima meridiana die octavo Februarii pulsus erat frequen

tior — septuaginta vel octoginta praestans micationes -- et propius ad normam accessus fuisset, si non spasmodica ejus indolis, denique sopor sensim increscens gravem hujus morbi naturam nobis denotassent. Hora tertia ejusdem diei pulsus liberior, cutis incalescens et humescens adparuerunt. Hora septima vespertina durities inflammatoria pulsus inveniebatur; clysmata duo aegroto adplicata evacuationem exiguam, decrementum vix notabile soporis, secessum involuntarium urinae et faecium effecerunt. Hora septima usque ad primam diei noni Februarii clarius observare licuit naturam pulsus antea descriptam; ab hora prima usque ad sextam ejusdem diei observabantur: pulsus frequens, magnus, durus plenus, excretio involuntaria, cutis calida et humida, sopor insignis et respiratio normalis; ab hora sexta usque ad duodecimam meridianam diei noni Februarii mutatus aeger indeterius apparebat quoad soporem, et pulsus, facta sectione transversa vulneris, tranquillior micabat. Incisio duo pollives longa et unum cum dimidio lata, ab inferiori pante ad superiorem ducta aegrotum gravi dolore vexavit. Prior incisio nonnisi prolongationem vulneris repraesentabat prima jam

laesione effecti; altera vero novum constituens vulnus plures dolores movebat priori. Digito tangente autem vulneri inserto evidenter persvadere nobis licuit de fractis et depressis ossibus; ab hora duodecima usque ad tertiam post meridianam ejusdem diei indicatam censuimus venaesectionem, quum facies humida, calida rubra, pulsus carotidum vehementior, aliarum arteriarum durus plenus ac celer, sopor altus reperiebantur, quare subito octodecim ad viginti uncias sanguinis cruore plenas detraximus, quo facto pulsum molliorem et ex omni respectu mitigatum mox tegimus, atque phoenomena, sine dubio quod inflammatoria fuissent, vidimus. Adtamen hora quinta vespertina pulsus ita invaluit ut norma longe durior et plenior evaderet. Jussimus nunc arnicam et salem ammoniacum singulis horis praebere, quibus remediis effici videbantur: conscientia clara, respiratio regularis, pulsus normalis, et sensibilitas aucta, in quo stàtu aegrotus permansit usque ad horam quartam matutinam diei decimi Febr. Nunc arnicae infusi dosis quadruplo augebatur, sepositis per quatuor horas fomentationibus frigidis: ab hora secunda postmeridiana usque ad horam duodecimam mediae

noctis pulsus plenior et durior iterum illa in qualitate usque ad horam tertiam postmeridianam ita increscebat, ut aegroto de novo hirudines in iisdem locis, quos supra designavimus, apponere necesse erat. Adplicatis autem his pulsus intra horae spatium nec diminuebatur, nec respiratio augebatur; aeger ad questiones, vel non distincte vel nihil plane respondebat; praeterlapso nunc tempore adsignato pulsus paulatim mollior aucta tamen frequentia adparuit; probavimus interim, extracto aloes adhibito non amplius uti. Hora vespertina nona clysma adplicatum paulo post quasdam liquidas saedes extraxit, et pulsum inde mollem, respirationem tranquillam, faciem rubram tumidam observabamus, quae symptomata usque ad mediam noctem constabant. Infusi arnicae, cujus jam supra mentionem fecimus, praebebatur secunda quaque hora cochlear unum, externe fomenta frigida iterata continuo adhibebantur. Ab hora duodecima aegrotus mente liber utut tempore matutino pulsu validiori et respiratione accelerata ad questiones apte respondebat. Hora tertia matutina diei XI Febr. cutis mediocriter humescens illum sibi retinuit statum ad horam septimam usque. Omnis ordo horum symptoma-

tum usque ad horam secundam postmeridianam non mutatus est. Pulsus quoad frequentiam et duritiem non insigniter quidem, sed tamen benigniter mutabatur; palpebrae superiores et inferiores, in quibus magnae suggilationes conspicuae, tegebantur compressis aqua Goulardi humectatis. Eodem tempore inter tunicam conjunctivam et scleroticam, nec non corneae lamellas obſuscans observabatur sanquis extravasatus; imminuta erat secretio lacrymarum et e contra mucus glandularum Meibomi auctus. Dosis arnicae augebatur ea ratione, ut omni singuli hora cochlear unum sumendum judicatum fuisset, fomentationibus ſrigidis aliquoties per horam continuatim renovatis. Ab hora secunda usque ad quartam postmeridianam ejusdem diei observabantur: pulsus frequentior, respiratio celerior, sopor auctus; et os diſſractum latius qualibet inspiratione aperiebatur. Hora quarta usque ad sextam vespertinam pulsus frequens et sopor insigniter auctus reperiebantur et ab hora sexta ad octavam usque notabatur phenomenorum, quorum antea mentionem fecimus, major gradus; imminuto simul motu extremitatis superioris dextrae manu sinistra laesam frontis partem tangendi conamen

saepius aegri vidimus. Hora nona vespertina aegroto dabatur enema; hora decima observabantur respiratio accelerata et huic plane congruens plenus et frequens pulsus; ab hora decima usque ad primam noctis diei XII. Febr. conspiciebantur paralysis extremitatis superioris lateri prospicientis dextro, torporis et soporis tantus gradus, quantus nunquam repertus fuerat, et inquieti motus musculorum irregulares. Adhibebantur tepida et omnem calvariam tegentia cataplasmata, quae autem eventus insecutus est nostrae non respondens spei pro aegri salute.

Ab hora prima usque ad quintam matutinam phoenomena antea memorata perseverarunt, quamobrem cataplasmata sine intermissione adhibebantur, quibus tandem remissio modica symptomatum efficiebatur. Ab hora decima promeridiana usque ad horam sextam vespertinam augebantur gradatim fomentationes frigidae arnicae usu non intermisso, quae remedia vespertino tempore insequebantur: exacerbatio lenta, temperatura cutis aucta, deglutitio magis impedita; illa symptomata non remiserunt usque ad horam duodecimam mediae noctis; hora prima nocturna

diei XIII Febr. augebatur frequentia pulsus, respiratio vehementer accelerabatur, quae interdum etiam brevis et anxia erat. Paralysin dextrae, uti prius jam superioris, nunc etiam inferioris extremitatis pari modo passus est aeger motu crebro inferiorum extremitatum sinistrarum illam concomitante. Bulbus oculi dexter maxime prominuit, nihilominus tamen palpebra superior illum omnem tegit. Pupillae ambo contractae erant, et vasa adnatae tunicae varices formabant, quo nunc tempore simul animadvertebatur paralysis oesophagi. Illae omnes malae vicissitudines adfuerunt usque ad horam octavam matutinam; hora decima nummerabantur centum et viginti micationes pulsus in una alterave sexagesima. Hora undecima consilium ceperunt medici aegroti caput trepano perforandi, quod et efficiebatur modo sequenti:

Amplificata incisione transversa, de qua diximus supra, quaquaversum sanquinis profluvio copioso impedito et pericranio per raspatorium deraso inveniebantur: vera stellaris fractura partis perpendicularis ossis frontis, praesertim glabella et superciliorum anguli interni depressi. Arcu terebrae imposito parti ossium maxime continuae

supra sinistrum supercilium, magna copia diffissorum et depressorum ossium ab exteriori praecipue vero interiori tabula statim amovebatur, sed quaquaversum fissurae divergentes ultra erant prolongatae. In sinubus frontis reperiebatur aliquid coaguli et illa — a lateribus sinuum, quae investit, commotione nunc disjuncta — in globulum formatâ pars membranae mucosae Schneiderianae. Inter tabulam interiorem et duram matrem nihil extravasati reperire potuimus. Trepanatio quatuor praesentibus celeberrimis at aestumatissimis medicis maxima artis dexteritate peragebatur; deligatio erat simplex. Maxime accelerata respiratio, lethargus, pulsus acceleratissimus, signa suspecta jam ante operationem, ea finita maximnm intensitatis culmen adscendebant. Hora secunda maximus medicorum judex centum et quadraginta usque quinquaginta micationes pulsus in sexagesima una nummerabat. Symptomata mala denominata gradatim augebantur, ita ut hora sexta vespertina maximam in respirationis organis agilitatem scire ac videre licuerit, pulsus ita celer ut difficulter singula quaevis ab altera discerni potuisset micatio; anhelatio sonora ingravescebat, sudor erat frigidus et frequens; pul-

sus tandem intermittens, oculi obtorpescentes, pupillae immobiles accesserunt, et hora septima vires vitales sub respiratione minori rariorique fugientes denique extinctae penitus, mortuum nobis remiserunt.

OBDUCTIONIS RELATIO.

Praeterlapsis quadraginta horis post obitum v. T. medici cranii et cerebri interiora exploraturi, ut causam morbi accuratius explicare possint, cadaveris instituerunt sectionem; epicranii serra dissecti reperiebantur fracturae, interioris superficiei multo longius extensae quam tabulae externae per suturam coronariam, quae uti omnes suturae cranii concreta fuerat. Sinus frontales cruore erant repleti; pars perpendicularis superciliaris arcus ossei ab interno angulo dextri lateris ad oppositum usque fractam et depressam ostendebat laminam exteriorem, quae laesiones passim per partem herizontalem, orbitam ossis frontis usque ad processum ensiformem ossis sphoenoidei transmigrarunt. Penes spinam frontalem externam penetrabat fractura basin cranii et spinam frontalem internam perscindens cui sinus falciformis durae matris adnectitur, disjungensque la-

minam cribrosam ossis ethmoidei conjunctam in statu normali cristae galli, rostro sphonoidali et processui clinoideo. Partes hae, quas paulo antea nominavimus, non solum ex naturali nexu divulsae, sed et prorsus dislocatae erant, ita ut omnes ad dextrum latus protrusae essent. Diligentiori contemplatione observabatur in corpore ossis sphoenoidei fissura, et quidem haud procul a chiasmate nervorum opticorum, ex fossa glandulae pituitariae orta unicam lineam lata per partem basilarem ossis occipitis ad foramen magnum usque prolongata. Dura mater erat, ubi trepanatio facta fuerat, sanguine obducta et pessime colorata, inde color ex viridi flavus supra lobos cerebri anteriores ad verticem et ejus interiorem superficiem imo ad lobos cerebri medios dispersus, circumscriptus tamen per fossas medias basis cranii. Neque inter duram matrem et tunicam arachnoideam, neque inter piam matrem quidquam exsudato, puri, extravasato aut alicui mechanicae anomaliae simile investigatione gravissima ac diligentissima a nobis instituta invenire potuimus; cerebrum et ejus tunicae perquam exsangues reperiebantur, vehementiore quoque compressione adhibita substantia medullaris punc-

ta rubra non protulit, quae vasa sanguine repleta demonstrassent. Cerebri ventriculi erant ab humore seroso copiose in illis collecto quatuor vel sex unicas ponderante, anomale extensi. Plexus chorioidei morbo non affecti erant et cerebrum penitus illaesum reperiebatur. Color membranarum cerebri ex flavo viridescens extensus quoque fuit eodem ambitu usque ad anteriores lobos cerebri, ubi tamen notandum: mutationem hanc morbo effectam, hic quartam vel dimidiam partem lineae unius in substantiam corticalem penetrasse.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS

A D J E C T U M.

Julius Blumner ego natus sum Dresdae die XXVIII. mensis Augusti MDCCXCII. patre optimo Josepho ibidem mercatore, et matre Joanna natâ Lehmann, binis nunc defunctis jam. Privatim eruditus scientiis elementaribus, in quibus addiscendis plurimum me debere amicissimo Kraeblino, qui me educavit, grato animo ingenue fateor, traditus sum Collegio medico chirurgico, Dresdae quod floret, ubi praelectionibus interfui anatomicis per annum et sex menses atque exercitationibus hujus discipli-

nae practicis per annum integrum a doctoribus Clarissimis Tobia et Haenelio traditis, quibus etiam physiologiae specialis, quam docuerunt, primigenam meam conscientiam debeo. Chemicas et physicas disciplinas experimentales, utiles quae nobis censebantur tradidit et mihi Celeberr. Doct. Raschig, materiam medicam Celeberr. Flemming, chirurgiae generalis et specialis praelectionibus et doctrinae de ligationibus chirurgicis nec non cursui operationum chirurgicarum operam dedi docente Celeberr. Doct. Ohle; pathologia et therapia me instruxit Celeberr. Raschig. His scholis absolutis ao. MDCCCXIV Berolinum, ut judicium practicum acuerem, me contuli, ubi a Rectore universitatis Praeclarissimo Solgero civibus academicis adscriptus sum. Hic praelectionibus interfui philosophicis et praesertim logicis seu dialecticis Celeberr. Solgeri, exercitationibus anatomicis modorantibus Celeberr. Rudolphio et Knapeo. Physiologiae generali docente Celeberr. Horkelio, phathologiae generali Celeberr. Reichio; praelectionibus Akiurgiae et chirurgiae generalis, clinico ophthalmiatrico chirurgico, non minus doctrinae de morbis ossium dynamicis Celeberr. Graefii; materiae medicae a

Celeberr. Hufelandio tractatae; iisdem de organis sensuum Celeberr. Rudolphii doctrinaeque de magnetismo animali Celeberr. Wohlfarthii. Sed anno MDCCCXV acerbe interpellata sunt haec studia. Bellum, recessu devicti jam usurpatoris galliae incensum de novo, et me coegit: quae animo ac corde praestare possem, hominum saluti nec non patriae, etsi fuisset vita, lubentissime praebere; itaque ad nosocomia plura, vulnerum curandorum causa, accessi. Bello felicissime finito, redux Berolinum et litteris redditus novo studui ardore excelentissimorum praeclarissimorumque Professorum doctrinis, Graefii de Curatione luxationum et fracturarum; Rudolphii de organis sensuum; Formeyi de parte therapiae specialis; Linkii de botanica parte historiae naturalis; Hornii de pathologia speciali; Graefii de chirurgia generali, de cognoscendis et curandis oculorum morbis, denique clinico ophthalmiatrico chirurgico; Hufelandii de clinicis, illis quoque Hornii simul de syphiliticis et Bussii exercitationibus ophthalmiatricis diligentissime interfui.

Examine rigoroso absoluto jam, dissertatione et thesibus defendendis infra prolatis, defen-

dendo illas liceat mihi, obsecro, sperare: dignus ut aestumer gerendo nomen honores et praerogativa illorum, qui ex gratia Facultatis Medicae perspiciente ingenium et dignitatem cujusvis se adproximantis, medicinae et chirurgiae doctores sunt vocati.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vesicatoria in febre putrida non adhibenda sunt.

II.

Vermes in ipso corpore oriri necesse est.

III.

Pulsus in multis morbis signum fallax est.

IV.

Exploratio intestini recti dolentis non negligenda est.

V.

Febris intermittens est morbus inter inflammatorios et spasticos medius.